# CONDITI PRUSSIARUM REGNI MEMORIAM ANNIVERSARIAM

DIE XVIII JANUARII MDCCCLXXIV

IN

## AUDITORIO MAXIMO

CELEBRANDAM

INDICUNT

PRORECTOR ET SENATUS ACADEMIAE ALBERTINAE.




INEST DESCRIPTIONIS REGIMONTI EX CASPARI STEINII PEREGRINO
NUNC PRIMUM EDITAE PARS ALTERA DESCRIPTIONEM CIVITATIS CNEIPHOVIAE
CONTINENS.

---

REGIMONTI.

TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.

# Quaestiones litterariae

**civibus academicis**
**in hunc annum ad concertandum propositae.**

---

## I. Ordinis Theologorum.

De schismate in ecclesia Romana medio seculo quarto exorto disquisitio historica.

## II. Ordinis ICtorum.

Duae quaestiones ad eligendum proponuntur:

1. Iterum poscitur, ut exponatur doctrina negotiorum quae vocantur „Kommission und Spedition“ secundum legem juris commercialis imperii Germanici.
2. Quaeritur quibusnam modis acquirantur atque amittantur jura patronatus ecclesiarum.

## III. Ordinis Medicorum.

Findet im Chiasma des Menschen eine totale Kreuzung der Sehnerven statt? und wie lassen sich, im Falle die Frage bejaht wird, die in der Literatur verzeichneten Fälle von lateraler Hemiopie und zentraler einseitiger Amaurose mit dem anatomischen Befunde in Einklang bringen?

## IV. Ordinis Philosophorum.

1. Es soll genau untersucht werden, ob und an welcher Stelle bei der Uebersetzung des neuen Testaments ins Gotische Ulfilas neben dem griechischen Texte auch eine lateinische Uebersetzung benutzt habe.
2. Beziehungen zwischen Hegels Ansicht von der Logik und Kants transcendentaler Logik.
3. Iterum poscitur ut pugna d. VI Septbr. MDCCCXIII prope vicum Dennewitz commissa enarretur ex relationibus Borussicis Gallicis Suecicis accurate inter se comparatis.

---

In Civitate Cneiphovia, Academia Regiomontana primo Rectore Georgio Sabino Anno 1544 ab Alberto seniore Marchione Brandenburgico et Duce Borussiae primo fundata rituque solenni die 17 Augusti introducta, Anno 1557 die 18 April. praedio Dalheim, multis privilegiis et immunitatibus per literas speciales Anno 1558 in toto Ducatu publicatas optime dotata et Anno 1560, die 8 Martii a Sigismundo Augusto rege Poloniae diplomate regio confirmata, Anno 1640 die 11 Martii prima promotione Doctorum theologiae 1, juris 1, medicinae 3 et anno 1644 die 17 August. styl. vet. 27 styl. nov. anno seculari et Jubilaeo Academiae festivis solennitatibus, precibus, concionibus, orationibus lingua Latina, Graeca, Hebraica, chaldaica, syriaca a Professoribus et studiosis habitis, carmine seculari a Professore Poëseos recitato, promotionibus Doctorum Theologiae 2, Medicinae 3, Magistrorum Philosophiae 11, comoediis 4 solenniter celebrato illustrata et approbata. Collegia Academiae Regiomontanae hodie florentissimae duo, vetus et novum anno Jubilaeo Academico renovata. In Collegio veteri Senatorium cum effigie D. Martini Lutheri, Philippi Melanchthonis, mappa Prutenica, janua ferrea, fornice contiguo, januis parvis ferreis, privilegiis et actis academicis. Bibliotheca. Auditorium magnum Theologicum et Philosophicum lectionibus, disputationibus, orationibus et actibus publicis destinatum. Auditorium Juridicum olim Paedagogium. Conclavia literis alphabeticis notata, in quibus alumni Principis habitant. Convictorium Communitet cum mensis 8, ad quas alumni Principis et alii studiosi olim pro 5 et 8 denariis Prutenicis hodie pro dimidio floreno, pro quarta parte Joachimici et pro dimidio Joachimico per septimanam in prandio 3 et 4, in coena 2 et 3 ferculis appositis aluntur. Leges communis convictus a Rectore et senatu Anno 1633 mense Martio in lucem datae. Habitatio Oeconomi sub convictorio. Tabula nigra, ad quam omnes intimationes et disputationes affiguntur. Carcer Academicus. Cella Oeconomi. Ad murum Collegii veteris exteriorem effigies Alberti I Ducis Borussiae, fundatoris, insignia Academica et haec disticha:

Qui regit indomito praestantes Marte Borussos
 Gymnasio Princeps haec dedit arma suo.
Nempe duas Aquilas invictum Heroaque, cujus
 Aonidas forti protegit ense manus.
Quando Redemptoris post incunabula nostri
 Addita ter centum lustra duobus erant
Phoebus et undecies ternos compleverat annos,
 Lucida qui coeli signa pererrat equis:
Hic erecta fuit doctis Academia Musis,
 Quas fovet Alberti cura benigna Ducis.

In collegio novo, Auditorium Medicum cum nominibus Medicorum adscriptis qui in hoc centenario docuerunt et sceleto in armario ligneo. Habitationes studiosorum, Inspectoris et Pedelli. Ad murum collegii novi exteriorem insignia et statuae pectorales lapideae Alberti I, Alberti Friderici Ducis Borussiae fundatoris, de quo apud Chytraeum in delit. Europ. hi versus qui hodie hic non exstant, leguntur:

Hic opus Albertus Fridericus Marchio struxit,
Patris ut impleret vota suprema sui.
Debetur patri, debetur gratia nato,
Quorum cum Musis gloria semper erit,
Vive diu Princeps et per vestigia Patris
Incedens pergas amplificare scholas.

In area Collegii, Fons nunc corruptus. Saxum sepulchrale in quo haec incisa sunt: Aegidius Ernestius Hunnius D. Nicolai Hunnii superintend. Lubecensis et Annae Hellenbachiae filius, D. Aegidii Theolog. Witeberg. nepos natus Eileburgi 24 Decemb. 1611, studii Theologici causa hanc Academiam frequentans, scelerato ense maleferiati hominis 14 Maij Anno 1631 laesus, 21 ejusdem sub horam primam pomeridianam cum vixisset annos 19, menses 4, dies 21 in ardentissima salvatoris invocatione animam Creatori reddidit, beatam resurrectionem expectans.

Sepultura Professorum fornicata, januis duabus clausa. Epitaphium M. Caspari Klee Professoris et Inspectoris, qui Anno 1602 14 Sept. ex hac vita discessit. Epitaphium D. Lothi:

Quid dubitamus adhuc? Si semina jacta resurgunt,
Solus an e tumulo surgere possit homo.
Cur olim Judex nobis residebit in arcu,
Si non surget homo contumulatus humo.

In suae et suorum resurrectionis memoriam hoc erigi curavit monumentum Georgius Lothus M. D. et ejusdem Professor primarius, Sereniss. Elect. Brandenburg. in Prussia Archiater p. t. Acad. Rector 26 Mart. Anno 1626. Epitaphium Johannis Bartholomaei Crügeri Medicinae Licentiati ejusdemque in Academia Regiomontana Professoris quondam publici Anno 1638 2 Novemb. pie defuncti:

Ne nescias sum Lector urna Crügeri
Artes probe cunctas Machaonum docti:
Hunc alma postquam Leucoris dedit natum
Parentibus, quos fama consecrat coelo
Et orbitam virtutis usque servantem
Anactoris sinu excipit favens molli
Claroque coetui medentium accenset
Pubique gaudet destinare Doctorem.
At ille laetus ante filia dulci,
Qua gnata magni eum beaverat Lothi.
Dum morbidorum sedulus vacat curae,
Bis terna tristis lustra computans aevi,
Dansque ossa terrae spiritum igneum coelo,
Chartis perenne Doctioribus nomen
Quam servat aliis ipse perdidit vitam.

Ad murum templi Epitaphium D. Matthiae Stoi Medici cum sceleto lapideo et hac inscriptione:

At satis hostium.

Dum mihi vita fuit, rerum natura decusque
Morantem studiis traxit ad astra suis.
Flores decerpsi tantum sapientiae inanes
Et mihi res plene cognita nulla fuit.
Nunc coram mundi mysteria cerno Deique
Idque mihi partum est sanguine Christe tuo.

Matthiae Stojo Borusso, Philosopho, Poëtae, Mathematico et Medico, Doctori celeberrimo, nato anno CHR 1526 die 26 April. et pie an. 83 mortuo Illustrissimorum Principi Borussiae Archiatro et Professori Academiae Regiomontanae praecipuo, Catharina soror, uxor Domini Balthasaris Hartmanni posuit.

Epitaphium M. Christophori Preys: Viro clarissimo et doctiss. Christophoro Preys Pannonio a Springburg, Eloquentiae in hac Regiomontana Academia Professori ejusdem conjugi dilectiss. Euphemiae Stolpianae, parentibus chariss. pietatis ergo moesti liberi posuerunt. Anno Domini MDXC quo ille 9 ipsa vero 18 April. pie in Christo obiere.

Hic recubo chara cum conjuge Christophorus Preys
Pannonius, patrio nomine post obitum.
Qui qualis fuerim novit Deus ipse, scio nil,
Hoc nisi quod CHRISTI discipulus fuerim.
Quo duce, si quidquam didici, docuique quod esset
Dignum laude, tibi laus ea CHRISTE manet.
Namque tuus vivus sum, mortuus atque sepultus
Speque iterum tecum jam redivivus ago.

Ad vesibulum templi Epitaphium Matthiae Stoi: Mat. Stojus Fil. Par. P.

Hoc in vestibulo parentis ossa
Matthiae sita Stoij quiescunt
Qui raptus puero mihi trienni
A sudore Britannico virili
Adhuc integer et vigens senecta
Sedes nunc Pius incolit beatas
E libris quoniam eruit Lutheri
CHRISTUM traditionibus sepultum
Papae, cum viduam duosque natos
Censu paupere me meumque fratrem
Liquit, praesidio parentis orbos
Quos sicut Deus hactenus benigne
Tutatus patrio favore texit
Posthac sic etiam regat precamur
Et faxit veluti parens honesti
Civis nomen in hac reliquit urbe,
Dicamur nos quoque boni piique
Cumque illi deinde fuerit visum
Istos ad cineres ut aggregemur
Sinu molliter in suo reponat
M. D. LXXI.

Lateres duo ut dicunt, finita templi structura, ab Architecto forte adjecti et hodie in muro firmiter compacti, nota vulgi curiosi.

In saxo sepulchrali:

Coppetiorum tegitur hoc saxo cinis,
Ambo parentum dulce solamen, pari
Amore CHRISTUM prosecuti sunt, pari
Ardore doctum combiberunt Castalin,
Ecclesiarum grande victuri decus,
Sed morte juvenes occubant, ferro minor,
Livore Clothus major extincti rigent
Coeloque juncti mortis expertes agunt.

D. Johannes Coppetius s. s. Theol. et Phil. stud. natus 7 Febr. Anno 1623 morit. Anno 1643 aetatis suae 20 an. 19 septim. D. Benedictus Coppetius s. s. Theol. et Phil. Magist. nat. 1. Januarii Anno 1620 mor. Anno 1645 aetat. 20 (sic) an. 3 septim. Angerburgens. Boruss.

Ad portam Collegii, Insignia Academiae Effigies Alberti I Ducis Borussiae cum gladio super humerum. Effigies salvatoris duplex et sub ea: Vigilate.

Auff irrwege gingen wir all
Nun ist uns wol in Gottes stall
Darein uns bracht der Herre Christ
Der unser Hirt und Bischoff ist.

Aquila. Insignia. Statua lapidea gladium mauu tenens armata et catena aurea ornata Georgii Friderici Marchionis Brandenburgici Ducis Borussiae et Academiae Nutritii clementissimi cum hoc dicto subscripto: Et afferent filios tuos in ulnis et filias tuas super humeros portabunt. Et erunt Reges nutritii tui et Reginae nutrices tuae Esa. XLIX Aula Episcopi vicina cum porta, area, stabulo, horto et habitationibus. Templum cathedrale collegio contiguum der Thum vel die Thumkirch Anno 1332 a Ludero Duce Brunsvicensi Magistro ordinis Teutonici Cruciferorum XV ex templo s. Spiritus veteris civitatis fundatum et D. Mariae omnibusque sanctis consecratum, fornicatum et columnis 12 muratis suffultum. Templi chorus interior, in quo sepulti fuerunt Luderus Dux Brunsvicensis XV, Ludovicus von Erlingshausen XXVIII, Henricus Reuss von Plawen XXIX, Henricus Reffle von Richtenberg XXX, Martinus Truchses von Wetzhausen XXXI, Johannes von Treffen XXXII, Albertus Marchio Brandenburgicus XXXIV et ultimus Magister Ordinis Teutonici Cruciferorum. In muro chori et repositorio ligneo ossa Luderi Ducis Brunsvicensis hujus templi fundatoris. In medio chori, Monumentum lapideum elveatum cum statuis 2 magnis lapideis superioribus Alberti I, Dorotheae et statuis 6 parvis lapideis lateralibus Friderici Alberti, Alberti, Luciae, Luciae Dorotheae, Catarinae, Annae Sophiae. Sub choro, sepultura 3 fornicibus discincta Ducum Borussiae, ubi Albertus I Senior, Dorothea Friderici Daniae Regis et Anna Maria Erici Ducis Brunsvicensis filia, conjuges Alberti I, Elisabetha conjunx Marchionis Georgii Friderici, Albertus Fridericus die 6 Feb. Anno 1619, Maria Leonora conjunx Alberti, Anna filia Alberti et conjunx Johannis Sigismundi Electoris, Georgius Wilhelmus Elector die 11 Martii Anno 1642, Sigismundus Marchio Brandenburgicus die 12 Martii hujus anni in sarcophagis stanneis splendidis cum eorum vita et rebus gestis insculptis solennissime depositi sunt. Ad parietes chori, Epitaphium Martini Truchsesii von Wetzhausen Magistri Ordinis Teutonici.

Epitaphium Alberti I senioris Ducis Borussiae ex marmore vario cum statua genibus flexis ex alabastrite:

Invicta virtute potens belloque togaque
    Hac jacet Albertus Marchio tectus humo.
Teutonico pater illius prognatus Achille
    Regis Casimiri filia mater erat.
Pro Marianorum titulo cessante Magistro
    Agnovit primum Prussia cultu Ducem.
Prima illi conjunx Danorum regibus orta,
    Altera erat Guelphos quae numerabat avos.
Sacra repurgavit fido monstrante Luthero,
    Struxit et egregiae culta Lycea scholae.
Pacificus, justus, prudens, pius atque benignus,
    Doctorumque fuit doctus et ipse pater,
Hoc duce creverunt et opes et publica terrae
    Commoda, quae patria juvit et auxit ope.
Quinquaginta et sex his terris praefuit annis
    Undecies septem vivere fata dabant.
Ergo patris patriae memor esse Borussia debes,
    Proque salutari principe grata Deo.
        AlbertUs MorItUr DIe GVbertI.

Epitaphia Dorotheae, Cimbricae, Annae Mariae Guelfiae, conjugum Alberti I cum multis versibus, Elisabethae Marchiacae, Conjugis Georgii Friderici Marchionis Brandenburgici ex lapide cum statuis magnis Marchionis, Elisabethae statuis parvis Laboris, Quietis, Phoenicis, Pelicani, Fortitudinis, Castitatis, aliarumque virtutum et longis inscriptionibus quae partim apud Chytraeum in delit. Europ. legi possunt. Vexilla et insignia cum rebus gestis Marchionum Brandenburgicorum et Ducum Borussiae suspensa. Chorus exterior et in eo Epitaphium Johannis Brismanni Theologiae Doctoris et primi Pastoris Evangelici, qui Anno 1523 die 27 septemb. primam concionem Evangelicam in hoc templo habuit et Anno 1549 die 1 Octob. obiit

Hic pius Antistes clausit sua fata Johannes
    Brismannus Patrii gloria magna soli
Quando salutiferi nobis lux reddita verbi,
    Purior integro coepit honore coli.
Albidos ad ripas junctus fuit ille Luthero
    Amplexus veram cum pietate fidem.
Inde Borussiacae divino munere gentis
    Desertum instaurat, Pastor ovile Dei
Primus sinceri fuit hic ubi dogmatis autor,
    Gentem Livonum rite vocatus adit
Ultima Christiadum coelo quae degit eöo,
    Hanc docuit verum religionis opus.
Hei mihi fata virum quantis pressere periclis
    Dum subit officii munera justa sui.
Quem postquam reducem laeti excepere Borussi
    Praefectumque suis constituere sacris,
Inque dies crevit divini gloria verbi
    Fertur magna novae causa fuisse scholae.

Lustra suae bis sex numerans labentia vitae,
Tres natas natos viderat atque duos.
Cum senior fessum posuit caput atque beato
Fine suum moriens sensit adesse diem.

Epitaphium Annae Uxoris Georgii Sabini et filiae Philippi Melanchthonis:

Uxor in hoc tumulo vatis jacet Anna Sabini.
Foemina non humili quae fuit orta loco.
Ad celebres Albis patre nata Melanchthone ripas,
In quibus Aonidum plectra moventur, erat.
Utque viros inter doctos Pater eminet omnes,
Quo non majus habent tempora nostra decus:
Sic quoque laude sua Matronas inter honestas
Claruit, ac tanto digna Parente fuit.
Ipsemet infantem tulit ad Baptisma Lutherus,
Quando salutifera perlueretur aqua:
Erudiitque piis monitis ut adulta timeret
Ac coleret vera relligione Deum.
Quin et docta fuit linguaeque perita Latinae:
Nam Latio poterat reddere verba sono.
Nec minus ore decens et honesto praedita vultu
(Laudari facie si qua meretur) erat
Annos bis septem florente peregerat aevo
Legitimi consors est ubi facta tori.
Inde remota procul natalibus abfuit oris,
Cumque suo vixit conjuge lustra duo.
Et semel aucta fuit tantummodo prole virili,
Natas Lucina quinque favente dedit.
Frigida mors animam placide subduxit et artus
Pars melior coelo est reddita, corpus humo.
Obiit IIII cal. Mart. Ao salutis M. DXLVII.

Epitaphium Wilhelmi Skrinetzky Bohemi:

Bojemos inter clarus qui stirpe Barones
Et specimen verae nobilitatis erat:
Hac Guilielmus humo positus post fata quiescit
Exul ubi, in Patriam pro pietate fuit.
Hunc animi propter dotes Albertus amavit,
Sub quo recta fuit Prussia tuta Duce.
Una erat illius spes et fiducia CHRISTUS
Nunc in cujus agit fata quieta sinu.

Anno 1568 den 12. April ist der Edle und wolgebohrne Herr Wilhelm Skrinetzky Herr von Kanaw und Herr auff Kunstberg etc. in Gott Seelig entschlaffen seines alters im 67 iahr und 10 Monat. Sepulchra, Saxa sepulchralia cum quibusdam figuris armatis incisis, Vexilla, Insignia et Epitaphia Joachimi Borckii Mareschalli, Antonii Borckii Magistri aulae, Georgii a Polentz, Joachimi Morlini Episcoporum Sambiensium, Johannis a Creutzen IVD et Cancellarii, Georgii a Pudwels Mareschalli, Alberti a Kitlitz L. B., Magistri aulae, Michaelis Borckii,

Catharinae von Ölsnitz, Wolffgangi a Wernsdorff Burggravii, Caspari a Nostitz Consiliarii, Johannis ab Heideck L. B. Iohannis a Kitlitz L. B. Magistri aulae cum inscriptionibus Sigismundi a Wallenrod Praefecti militaris supremi Prutenici cum figura armata saxo incisa, gladio, vagina et armatura parieti affixa.

Ad chorum exteriorem literis majusculis aureis:
Laus sit honosque Deo Generi pax coelica nostro.

In templo ad dextrum latus, Epitaphia Johannis Nimitz Cepusiensis Hungari cum urbe Regiomonto et Cruce CHRISTI depicta, ubi in inferiori crucis parte artificium pictoris apparet, Stephani Wolff, Alberti et Christophori Sabini filiorum Georgii Sabini:

Alberti gelida consumpti morte Sabini
Filioli sunt hic ossa sepulta mei,
De quo magna quidem sed inanis, facta parenti
Spes mihi detraxit quam fera Parca, fuit
Corpore robustus, teneris animosior annis,
Ingenio praestans, ore venustus erat.
Indicat infelix operosi cura sepulchri,
Quanta mihi misero spes sit adempta patri.
Tu quoque Christophori nomen qui nate gerebas,
Magna senescentis spesque parentis eras,
Conditus hic dormis et eodem juncta sepulchro
Hic tua fraternis ossibus ossa cubant.

Obiit prid. non Iun. MDLIII.

M. Martini Wintheri, Georgii Hieronymi vom Stein IUD et Professoris Acad. Reg. Michaelis Schleunii Dantiscani, Bibliothecarii et Professoris senioris, Urbani Werdermanni, Johannis Weinreich Quaestoris, Elisabethae uxoris Brifmanni, Ambrosii Lobwasseri Professoris: Viro clarissimo, pietate, virtute et doctrina praestantissimo, Domino Ambrosio Lobwassero IUD. Illustriss. Principis Borussiae Consiliario atque Professori, qui obiit XXVII Novemb. an 1585 cum vixisset annos LXX menses VII dies XXII in memoriam immortalitatis amorisque singularis et gratae mentis significationem poni curavit frater Michael Lobwasser:

Expertus mundi vanas res esse NIHILQVE
Hic quoque nunc jaceo pulvis et umbra NIHIL,
Sed qui de NIHILO coelum terramque creavit,
Me cum carne mea non sinet esse NIHIL.
Hac spe NIL mortem feci, NIHIL omnia feci,
NIL NIHILI vermes posse nocere scio.

Abrahami Culvensis Lithvani Doctoris, Johannis Kersten senatoris, Johannis Rosenzweig Burggravii Liciensis, Volradi Klenovii Nobilis Megapolitani:

Hoc ego sub tumulo florentibus integer annis
Deposui virides corporis exuvias.
Sanguine sum natus, si gentem quaeris, Equestri:
Klenovio nomen de genitore traho.
Nobilitas sat clara quidem mihi sed decorata
Palladis et Themidos clarius arte micat.
Namque Patris jussu doctis versatus athenis
Nomina queis tribuunt non moritura rosae.

Et juris nodos legumque aenigmata coepi
Egregia ingenii solvere laude mei
Hinc ubi Bregelidum Nympharum captus amore,
Et Themidi et triviae pergo litare Deae
Ausoniasque brevi meditor lustrare Camenas:
Nec non Galle, tuas, acer Ibere tuas
Ecce domum figit mihi mors vitaeque viaeque
Et jubet ad coeli ferre lycea pedem
Hic ego cum Genitore meo qui Fata secutus
Mox mea, perpetui tempora veris ago.
Hic sunt quae multi multo sudore laborant
Nosse, sed haud norunt cognita cuncta mihi.
Felices vitae quos e statione vocatos
Tam cito, tam laeta Fata quiete beant.

Volradus Klenow Nobilis Megapolitanus in ipso studiorum cursu et flore aetatis anni 22 obiit 26 Decemb. Anno 1607 hic sepultus.

Christophori Heilsbergeri IUD, Zachariae Engels, Johannis Heidenstein Consiliarii Matthaei Reimeri Consulis, Wilhelmi Platen Senatoris, Jacobi Keütheri Pauperum Praepositi:

Mortuus ad superas abiit Keüterus in oras,
Dives opum, sed plus dives amore Dei
Publica res, inopumque cohors miseranda, tuique
CHRISTE ministerii tristis et orba cohors
Ad tumulum flevere, fuit vox omnibus una
O pater, o tutor, plura dolor vetuit.

Obiit 89. 12 Martii.

Ad sinistrum latus, Epitaphia Georgii a Schlieben Nobilis, Jacobi Brandt senatoris, Ursulae Königin, Hieronymi Roth IUD, Ernesti von Rechenberg, Capitanei, Johannis Reyneccii IUD, Barbarae Glagenin, Mauritii Thornaw Nobilis Pomerani, Gertrudis Hillin, Laurentii Weidhameri Senatoris, Johannis von Loh Consulis, Andreae Schmitneri, Bartholomaei Bütneri Senatoris, Caspari Maraun, Johannis Stigler, Gregorii Riess Civis. Altare ligneum inauratum cum cruce Christi crucifixi, statua salvatoris inaurata candelabris et ornamentis. Sacrarium cum vasis et vestibus sacris. Baptisterium cum statuis Christi, parvulorum, janua ferrea, clathrata, partim inaurata.

Ad Baptisterium:

Cui locus hic sacer est Christo, quis condidit urbis
Cneiphoviae curam qui gerit ordo Patrum.
Anteriora qui hoc sepsit munimine Petri
Clavigeri nomen qui Resekirchus habet.
Tu sacrum tibi Christe locum, tu protege Patres,
Tu Pater esto urbis: tu Pater esto Petri
Tu coeli reserato fores his omnibus unus
Omnibus unus enim tu via, vita, salus.

Ad parietem Baptisterii:

Esse deum nescis, dubitas de Numine Christi?
I, pete Jordanis flumina, certus eris.
Este bono fontes animo: lustralibus insons

Non sibi, sed vobis ecce lavatur aquis,
Numinis offensas et noxia crimina delet
Haec roseo Christi sanguine lympha potens,
Si lethi fuga, si cordi tibi vita perennis
Eia salutifero pronus in amne lava.
Parvule quid vagis? peccati mole fatigor
Tinge sacro corpus flumine, liber eris,
Regna tibi jurans spondet coelestia Christus,
Intra: quid dubitas? hic tibi porta patet.
Flamma liquor verbum coeunt hic foedere miro
Inde sacro virtus tanta subest latici.
Funde manu lymphas et dic bona verba minister,
Caetera praesenti Numine Christus aget.
Et tu sontis Adae nuper nunc chara tonantis
Progenies tanti muneris esto memor.
Numen ama: sacrum vitiis ne pollue fontem,
Asscriptos coelo coelica vita decet.

Ad suggestum lapideum janua ferrea clathrata et effigie salvatoris ornatum Anno 1589

Scharffius ista tibi posuit Sigismundus JËSU
Sincero verbi ductus amore tui.
Vilia pro magnis, sed gratae pignora mentis
Hoc tibi forsan erunt nomine magna satis.

O Jesu lieber Herre mein
Sigismund Scharff der diener dein,
Aus reiner lieb zu deinem wort,
Hat ausgesmücket diesen ort,
Nach dem verdinst ist es ein schertz,
Doch leicht daraus ein dankbar Hertz,
Ist gleich die gab nicht nach gebür,
Wird doch das Hertz gefallen dir.

Ad odeum:

Auff das mit singen werd gepreist, Gott Vater, Sohn, Heiliger Geist,
Hat Peter Michel dieses chor Gebaut und wünscht noch als vor
Das Gottes Wort im fried gelehrt Und manches Hertz auch werd bekehrt,
Das Kindes Kind sich freuen mag Bis an den Jüngstentag,
Und wir denn singen ewiglich Herr unser Gott wir loben dich.

Supra sedile senatorum, statua vetusta Christi corona spinea coronati. Effigies Salvatoris Ego sum vera vitis. Discite Justitiam moniti et non temnere Christum. Init. Sap. Tim. D Senum corona Pietas.

Tu rege consiliis actus Pater optime nostros
Nostrum opus ut laudi serviat omne tuae.

All unser thun o Gott regier Das es gereich zu deiner ehr.

Ad chorum civium:

Dein todt Herr christ mein leben ist, Dein blut Herr christ mein reinigung ist.
Ich werd im todt nicht gar vergehn, Sondern vor Gottes Throne stehn,

Ihm lobsingen mit gantz fröhlichem Schall, Und rühmen seine wolthat all'
Ihm lob und danck sagen in ewigkeit Vor mein leibs, seelen tröstung und freid.

Ad organum:

Ut volucres coeli per lucida Templa ministri
Factorem laudant perpete voce suum:
Sic etiam in nostris fieri praeconia templis
Ter sancto debent voce lyraque Deo
Dulce Dei cum sit dulcissima Musica donum,
Quis furor est tantum spernere velle bonum
Atque arçere sacris, rigidi procul ite Catones
Nata Deo laudet Musica grata Deum.

Ad cistas eleemosynarum:

Ihr lieben christen allgemein, Dis Haus last euch befohlen sein,
Darin ihr hört der gnaden lar, An diesem ort erschallen klar,
Habt ihr nu in das Hertz gefast, Welchs uns gefreiht vons Gesetzslast.
So beweiss ein jeder seine lieb, Keins von sich auffs andere schieb,
Last uns mit freuden geben all, Wie David that in solchem Fall,
Damit dis Hauss erhalten werd, Und unser lieb zum wort bewert,
Solt euch dieses Hauses nemen an, Welchs ohn eur hülff nicht kan besthan
Gebt ins grosse Hospital der Armen, Gott wird sich euer wider erbarmen.
Bedenkt die Hausarmen, Pauperes, krancke leüt und das Pesthauss.

Laterna magna. Ad murum fornicis anterioris in linteo expanso Rythmi multi de vanitatibus mundi scripti cum literis hebraicis ad marginem. In fornice anteriore clauso Bibliotheca ante annos aliquot colligi incepta. Sedilia Pastoris, Diaconorum, Professorum, Principis, Aulicorum et Doctorum, senatorum scabinorum, civium, virginum, mulierum. Coronae 3 pensiles cum candelabris ex orichalco. Ad columnas, candelabra ex orichalco. Turris 280 graduum excelsa cum campanis et horologio. Porta 1 chori. Portae 4 templi, quarum una semper manet clausa. Ad portam majorem, Effigies D. Mariae vetusta. Ad portam per quam in collegium itur, statua vetusta D. Virginis Mariae cum Puero. Coemoterium muro circumdatum cum portis 6. In coemeterio ad mausolea duo Hieronymi Jetsch et Friderici Montfort nuper renovata, A sinistra parte, salvator mundi. Anno 1602.

Sum pulcher, at nemo tamen me diligit,
Sum nobilis, nemo est mihi qui serviat,
Sum dives; a me nemo quicquam postulat,
Et cuncta possum, nemo me tamen timet,
Aeternus exto; quaeror a paucissimis,
Prudensque sum, sed me, quis est, qui consulit,
Et sum via, at per me quotus quisque ambulat,
Sum veritas, quare mihi non creditur,
Sum vita, verum rarus est, qui me petit,
Sum vera lux, videre me nemo cupit,
Sum misericors, nullus fidem in me collocat,
Tu si damneris, non id mihi imputes homo,
Salus tibi est a me parata hac utere.

Ventum ad supremum est, sed non meliora sequentur,
Donec ad adventum maxime CHRISTE tuum.

Am höchsten stehts bessers folget nicht
Herr Christe kom mit deim Gericht.

A dextera parte, Resurrectio Christi.

Exuviis requiem praebet locus iste, quod illis
Nobilius, vivit nobiliore loco.
Tempus erit, cineres cum vita redibit in istos
Inque sua cernet mens pia carne Deum.
Der Leib schläfft hie nach Gottes wort,
Die seel lebt an einem bessern ort,
Bald wird der Leib hie aufferstahn,
Die seel im fleisch Gott schauen an.

Fornix cum sepulchris, clathro ligneo, ambulacro lapidibus strato et pergulis exterioribus. In saxo sepulchrali,

Sub tumba hac recubat charissima Gnata Simonis
Ribbii, quae Patris spes fuit una sui.
Cum lucem aspexit Reginae nomen adepta est
Et sacro Christi flumine lota fuit.
Octo transegit bis quinos insuper annos
Cum Lachesis vitae scidit iniqua filum (colum)
Haec cum sit rubeo Christi redimita cruore (conspersa)
Adscita in coelum laeta trophaea canit.
obiit Anno MDCXXVII XXIII Januar.

Schola Cneiphoviana vicina Thum Schul cum classibus 5 et habitationibus Collegarum. Habitatio Pastoris. Domus pauperum olim sacellum cum rythmis sequentibus adscriptis:

Auch arme Schüler kan Gott aus dem Staub erheben,
Er siehet auch auff sie in ihrem gantzen leben.
Darumb lieber Christ nicht diese kinder hass,
In ihrer armut, ja dieselbe nicht verlass.
Siehe auch barmherzig an dies arme Schüler hauss,
So wird in deiner not dir Gott gleich helffen aus. Anno 1644.

In platea Magistrorum, Habitatio Rectoris. Schola puerorum et puellarum. Prope coemeterium, Habitatio Cantoris. Habitationes Diaconorum consistorium vicinae. Consistorium Sambiense, in quo diebus Mercurii et Saturni Assesores convenire solent.

Curia Cneiphoviana ad forum Cneiphovianum cum turriculis 2, horologio et campana publlica. Ad scalam curiae inferiorem, cuneus ferreus appensus, quo Anno 1550 die Martis post festum trium Regum Johannes Wegner vitricum et matrem suam occidit, qui a calceis, sanguine commaculatis apud sutorem depositis proditus captus, per tres Civitates circumductus et forcipicibus candentibus discerptus est. Supra januam Senatorii, Inscriptio partim senio obliterata: Aeschines Nullam esse utilitatem Civitatis ait, quae non habet nervos adversus delinquentes.

Mit nutz ein Stadt nich wird regirt, Wo nicht ernst und straff wird gespirt,
Wider die so mutwilliglich, An gutten gesetzen vergreiffen sich.
Darumb billich auch ein Magistrat, Gebürlich straff auff unrecht hat,
Weil sie von Gott zu richten gesetzt, Das keiner am Recht werd verletzt.

In senatorio, Judicium extremum Anno 1591 depictum. Justitia. Mappa. Effigies Salvatoris, Joachimi II, Johannis Georgii Electoris Brandenburgici, Ducissarum. In mensa Came-

rarii, Nummi vetusti Cruciferorum. Telum ligneum vetustum et literae inclusae a Commendatore Henrico Reüss von Plauen Anno 1455 ad Tribus veteris Civitatis scriptae et cum telo de monte avenario ejaculata, ac praeter spem in Civitate Cneiphovia delapsae, quibus excursio Palaeopolitanorum et insidiae Cneiphovianis paratae mire patefactae dicuntur. Contenta literarum sunt. haec: An Gewercken und der gantzen gemeine der Altenstadt Königsberg mit Freündschaft. Bruder Heynrich Reuss von Plauen deütsches Ordens Kompthur zum Elbinge. Unsern freündtlichen grus, nach dem es itzunder zum besten gewandt ist, lieben Gewercken und Gemeine, als ihr uns denn mit eurem bothen euer gutte meinung, willen und vorsatzt zuentboten habet, in dem das ihr euch wider zu unserm Orden geben und keren wollet, des wir euch zumale sehr und grösslich dancken und hoffen lieben freünde, ihr eins solchen so gross und höchlichen unsern Orden und uns genissen sollet, und ewiglich sol in allem gutem euch unvergessen bleiben, als ihr denn auch begehret, das wir einen zug thun sollen, und euch zu rettung kommen, so thun wir euch zuwissen, das wir uns ietzunder bereiten, und schicken und kürtzlich auffbrechen wollen, und euch in kurtz mit Gottes des Herrn hülffe, dardurch wir bisher gegen unsere feinde gesiget haben, mit solcher macht zu hülff und rettung kommen, das wir euch vor alle unsern und euren feinden wol beschirmen und beschützen wollen. Worumb lieben freünde bitten wir, ihr wollet stete sein und feste halten, wollen mit unserm Zuge keinerley weise seümen, und begehren hirauff euer verschribene antwort. Gegeben zu Marienburg an der Mitwoch nach Palmarum im 55ten Jahr. In chronico Prutenico Henneberger extant haec verba: Anno 1455 nach Ostern kam Heinrich Reüss von Plauen berant den Kneiphoff, lagert sich auff den Haberberg, da zogen sie zu ihm hinaus schlugen ihm 100 Reysiger ab, und fungen ihrer 60, der Kneiphoffer blieben 15 todt. In repositoriis ligneis clausis, Privilegia, Acta, Senatusconsulta Cneiphoviana. In atrio, Imagines Alberti I Ducis Borussiae et Conjugis, Georgii Friderici Marchionis Brandenburgici et Conjugis, Joachimi Friderici, Johannis Sigismundi, Georgii Wilhelmi Electorum, Stephani Regis Poloniae. Delineatio urbis Regiomonti triplex. Tympana suspensa. In Camera Colloquii Sprechstub, Imagines Sigismundi III Regis Poloniae, Alberti Friderici Ducis Borussiae. Porta Honoris depicta in ingressu solenni Johannis Sigismundi Electoris erecta. Mappae. Colossus delineatus. In armario ligneo clauso, Tabulae 13 ex ligno cera nigra superinducta confectae et compactae, in quibus stylo cerae impressa sunt ab anno 1400 nomina Civium qui jus Civitatis habuerunt, et constitutiones ac protocolla quaedam Civitatis Cneiphoviae hodie vix legenda. Gladii tres in vaginis numero 1546 notatis reconditi, quibus consiliarii Principis tres M. Johannes Funck, Pastor veteris Civitatis, viginti annorum Principi a confessionibus compater ac chronologus, Matthias Horst et Johannes Snell praesentibus sex commissariis regiis a Statibus Prutenicis et eorum nomine primo ab Alberto Truchsesio von Wetzhausen aulae Magistro in arce Regiomontana postea a Mandatariis M. Bögnero, Luca Gabriele et Johanne Wulff in Judicio Cneiphoviano cui assessores tres ex veteri Civitate et tres ex Civitate Lebenico adjuncti erant, ut novatores et pacis publicae perturbatores haeretici Andreae Osiandri et Johannis Aurifabri novi Praesidis Sambiensis promotores, privilegiorum Prutenicorum violatores, omnium ordinationum Ecclesiasticarum et Politicarum antiquarum reformatores, Statuum Prutenicorum et Consiliariorum apud Principem delatores, veterum Consiliariorum Adami a Creutzen Burggravii, multorum Ecclesiasticorum et Politicorum, Matthaei Reimeri, Jacobi Quant Senatoris Cneiphoviani ab officio remotores et expulsores, novi regiminis et novae Cancellariae fabricatores, libelli famosi sub titulo Justitia, instinctu Pauli Scalichii Croati et consiliarii et Johannis Steinbachi Bibliothecarii contra Caesarem et Status Prutenicos editi, falsi rumoris Principem in atrio Moscowitico arcis Regiomontanae captivum a Consiliariis detinendum, debitorum et contributionum publicarum gravissimarum, mille equitum

peregrinorum introducendorum et in suburbiis Civitatum Regiomontanarum ad contributiones extorquendas locandorum, nocturni tumultus et aedium in urbe Regiomontana pulsationis autores, Testamenti a Principe in praejudicium Ducatus et Regni privatim mutati, discessusque ex Borussia in Franconiam propter infidelitatem Consiliariorum et subditorum et ut partim illos praesertim Ölsnitium et Heideccium ac alios juxta sententiam ex Psalmo 101 a Funcio prolatam capitis poena puniret, Principi suasores et patriae proditores ac hostes perniciosissimi sicut ex eorum accusatione, exceptionibus, protestationibus, inquisitionibus, confessionibus prolixis germanico idiomate manuscriptis satis patet, criminaliter accusati a D. Nicolao Lepnero Advocato ex carcere Cneiphoviano Blauthurn et vinculis ad tempus defensi, demum a Judice Cneiphoviano Dominico Perband, ad mortem condemnati die 28 Octob. Anno 1566 ante Curiam in foro Cneiphoviano per carnificem decollati et in uno sepulchro montis avenarii sepulti sunt. Annum et diem supplicii indicat Casparus Hennenberger in Chron. Prut. fol. 223 hoc versiculo:

SIMonIs JUDa sneL fUnk horst Interlere.

Funck ante supplicium fertur adstantes ita compellasse:

Disce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge ceu pestem *Τ'Ην πολυπραγμοσυν'Ην*.

Quidam narrant quod iisdem gladiis quos ipsimet in collatrium Consulum urbis Regiomonti antea curarunt fabricari capitibus truncati sunt. Veteres supplicii spectatores varia etiam de iis, eorum supplicio, carnifice Adamo Prang, carnificis ministro saepe narrarunt. In fornice inferiori Curiae uno, Libri et Acta Iudicialia Cneiphoviana, Gladii, pugiones et cultri homicidarum asservati, in altero, Privilegia Prutenica in cista ferrea, Arcus et Tela varia veterum Prutenorum in repositoriis deposita. Carceres Civium Kaalkammern. Statio Vigilum. Forum. Libra publica. Aula mercatorum Junckerhoff curiae contigua, judiciis, nuptiis, epulis et compotationibus solennibus hybernis dicata, Aulae anguli vel cancelli aut sessiones 4 senatorum Rhatswinckel, Scabinorum Gerichtswinckel, Rosarum Rosenwinckel, qui jurisdictionem in totam aulam habet, Nautarum Hölckwinckel. In sessione senatorum, Tabulae decem praeceptorum cum numero 1578, Judicium extremum depictum et sub eo haec verba: Recte judicate filii hominum, ne a judice supremo udicemini.

In Sessione Scabinorum, Iustitia, Cambyses et hi rythmi:

Cambyses hat abstreiffen lahn, Den Richter der unrecht hat gethan,
Zeleucus sein Gebot nicht wolt brechen, Lies ihm und seinem Sohn ein aug ausstechen.

In angulo Rosenwinckel, urbs Regiomontum, et Praelium picturis et rythmis sequentibus delineatum:

Ob wol der Orden das Preussenland Vertreten hat ist fast bekandt,
Denn da der Pohl das land drang hart, Vom Orden es beschützet ward,
Und ob der Pohl nam uberhandt Der Orden schon zur flucht sich wandt,
Hat doch erwischt die Cneiphöffsche Fahn, Ein Schuchknecht gar ein streitbar Mann,
Daher das glück und Sieg zuhandt Auffs Ordens seit sich hat gewandt.
Derwegen Gott zu dancken ist, Und Hans von Sagen zu der frist,
Der von der Hohen Obrigkeit Das Smeckbier begehrt zu ewiger Zeit,
Auf Himmelfart zu besonder ehr, Stadt Kneiphoff sonst keiner mehr,
Solches Mann bey Mann sol trincken aus, Mit fried auff den Fürstlichen hauss
Und obs bisher was ist verschoben Ist es drumb nicht gar aufgehoben.
Wenn dan mit gut und blut verfecht Die alten ihre Freiheit und recht
Und solches habn mit grosser macht Auff ihre Posteritet gebracht,

Ist ihnen zu ehren aufgericht
Durchs malers kunst diese geschicht
Damit zu ewiger Danckbarkeit
Ihr mänlich that werd ausgebreit,
Und ihr nachkommen gleicher weiss
Trachten nach tugendt ehrend preiss.

Renoviret Anno 1614.

Statua Sebastiani sagittis transfixa. Imago Vladislai IV. Regis Poloniae cum corona et Sceptro in mensa jacente et molosso cane Anglico adstante, in cujus torque extant rosae tres depictae et numerus 1639. Eques cataphractus depictus. Armaturae 2 ad fenestram in concursu Cataphractorum Stechenreiten tempore Bacchanaliorum usitatae. In angulo Hölckwinckel, Indutiae Belgicae 12 annorum cum pacificatoribus et Naves variae cum ponte et bursa mercatorum Regiomontana, picturis delineatae. Statuae Musarum. Navis pensilis ex ligno contecta velis expansis laterna, 20 tormentis et rebus nauticis instructa. In angulis Rosenwinckel et Hölckwinckel iisdem legibus, ceremoniis et immunitatibus, quibus in aula veteris Civitatis, Fratres aulae Hoffbrüder etiam creantur et tempore nuptiarum ac compotationum insignia, vasa argentea, laminae argenteae publice affiguntur et delinquentes puniuntur. Ad fornacem, Mensa Tribunorum Eltertisch. Post fornacem, Bacchus cum ornamentis. Ad parietes Candelabra 18 ex orichalco. In medio, cornua cervina 4 cum candelabris. Supra januam, Scamnum Musicorum Pfeifferbanck et sub eo: Frölich in allen ehren kan niemand wehren. Anno 1623. Sub aula, Cella et Culina. Hortus mercatorum Junckergarten ad fluvium Pregelam, cum portis, transitu communi, angulis 4, Scamno Musicorum, tabula lusoria, coenaculo, Scamno Tribunorum Elterbanck, labro, cella, arca, arboribus, tiliis. In angulo Rosarum: Rosenwinckel heiss ich, Gutte mannzucht ehret mich. Anno 1633. Picturae cum nominibus inscriptis. Concursus Cataphractorum publicus ad fenestras picturis delineatus. In hoc horto habentur aestate Judicia cneiphoviana et compotationes, et Fratres horti Gartenbrüder creantur. Hortus opificum Gemeinegarten ad fluvium Pregelam symposiis opificum aestivis dicatus cum portis, transitu communi, tiliis aestate virentibus, culina, camino excelso, clathris ligneis albo viridique colore tinctis, tabulis lusoriis Pilkentafel, Trocktafel, cella, picturis. mensis, scamnis sella moechorum Ehebrecherstul, in qua sedere coguntur qui contra leges potandi peccant. Ad parietem, Tribuni Elterleüt des Gartens, Vexillifer, Scriba, Insignia et Instrumenta depicta cum rythmis et nominibus ascriptis:

Dies abbildung anders nicht bedeüt
Ohn anzuzeigen die Elterleüt
Nemlich die regiert han dis Jahr
Als das neu Remter gebauet war,
Treulich, und haben dabey gestifft,
Gemelt Conterfey und unterschrift.
O hilff du lieber getreuer Gott,
Das wir also haushalten ohn Spot,
Zu lob und ruhm der gantzen Gemein
So sol hiebey unser Name sein,
Christoff Pohl war recht Eltermann,
Hans Resen sein getreü Cumpan.

1629.

Nu mehr so gewesen weit und breit
Glaubt nicht das man solche freiheit
In diesen Städten haben kan
Recht wie du die hie sihest an,
Klar bier und ander Kurtzweil bey,
Ein jeder die muss halten frey.
Ey wer dann so dawider lebt,
Recht wie ich sag nach unglück strebt
Leichtlich bricht er das Gartenrecht
Lest er am spruch sich nicht genügen schlecht
Wil sich beruffen an Obrigkeit,
Ey da ist dann der Burg nicht weit,
Es lest die Obrigkeit auch dabey,
Haben sie des Gartens urteil frey,
Recht muss es sein und auch bleiben,
Niemand darff der Obrigkeit vorschreiben,
Nemlich sie stercken das Gartenrecht,
Jedem was dem gebüren möcht.
Ewiger lob durch dies Schrift
Christlicher Obrigkeit die dies gestifft

Rühmlich hiemit nachgesagt sey
Dies Conterfey gemalet war
Gott schafft all ding sag ich ohn spot,

Kom lieber Gott und steh uns bey,
Recht wie man hilt das Jubeljahr
Glory lobsingt ihm Donat Gotsch.

1630.

Zu minder Zahl geschrieben wird
Dreyssig, auch muss do sein gewesen
Recht Eltermann Georg Zagermann
Die haben gewolt, befohln allzeit

An itzo wie man hie spürt
Wie man bald hernach thut lesen,
Aegidius Klingspor sein neben Cumpan
Schenk sei mit frischem bier nicht weit.

1631.

Man findet hie in diesem ort
Kurzweil dabey ist auch zu treiben
Wer dann auch sich üben will
Der kan widerpart haben leicht
Una manus calamum,
